



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXXXV. Ioannis Papae VIII. Ad Sacerdotes Et Popvlos Branimiro Svbiectos. Excipit eos ad Romanae ecclesiae gremium redeuntes. monet vt perseuerent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

sine tarditate perficiat, vt & propter hoc tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

## EPISTOLA CLXXXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD SACERDOTES ET POPVLOS  
BRANIMIRO SVBIECTOS.

Excipit eos ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntes. monet vt perseuerent.

*Omnibus venerabilibus sacerdotibus, & vniuerso populo.*

**C**VM literas principis vestri Branimir, quas nobis per Ioannem venerabilem presbyterum ipse direxit, legemur; non solum illius deuotionē, sed etiam fidei vestræ sinceritatem & dilectionem, quam circa sanctum Petrum apostolorum principem, & circa nos habetis, cognouimus. Et quia velut carissimi filii ad sanctam Romanam ecclesiam, vnde parentes vestros melliflua sanctæ prædicationis dogmata suscepisse agnoscitis, toto animo, totaque voluntate redire cupiatis, nostram apostolicam gratiam & benedictionem habere magnopere desiderantes, magna sumus repleti lætitia. Et ideo brachiis extensis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, & apostolica volumus semper benignitate fouere, si vos hanc voluntatem, & sponsonem vestram vsque ad finem sinceriter habueritis, & fideliter tenueritis: quia, dicente Domino, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* & apostolo Paulo id ipsum dicente: participes enim Christi facti estis, si tamen initium fidei vsque ad finem firmum retineatis. Quapropter estote fideles Deo, & sancto Petro, sicut mandastis, vsque ad mortem, & accipietis coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nos enim sacris orationibus nostris memoriam vestri coram Domino assidue facientes, manibus sursum ad Dominum eleuatis, omnipotenti Deo vos vna cum dilecto filio nostro principe vestro commendamus, & omni benedictione spiritali vobis benedicimus in Christo Iesu Domino nostro, vt hic & in æternum corpore simul & anima benedicti existatis, &

*Matth. 10.*

*Hebr. 5.*



in perpetuum Domino gaudeatis. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

## EPISTOLA CLXXXVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD CAROLOMANNVM REGEM.

Hortatur ad ecclesiæ Romanæ defensionem, quæ a Sarra-  
cenis multis afficiebatur detrimentis. rogat  
vt legatos benigne excipiat, & fidem  
illis adhibeat.

*Dilectissimo ac spiritali filio Carolomanno gloriosissimo regi.*

QVIA more prædecessorum nostrorum pontificum re-  
giam excellentiam diuinitus exaltatam pio mentis af-  
fectu diligimus, ad honorem & exaltationem sanctæ Dei  
ecclesiæ eam sitibundo pectore videre desideramus: qua-  
tenus vestræ magnitudinis triumphali certamine sedis apo-  
stolicæ vigor, & honor, quem progenitorum vestrorum,  
gloriosissimorum videlicet imperatorum tempore habuif-  
se recolimus, vobis regnantibus maneat illibatus & inte-  
ger, vt & vestræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum,  
& æternæ mercedis vobis munus superna gratia tribuatur.  
Nunc igitur pro tot & tantis calamitatibus ac necessitati-  
bus, quas a Paganis assidue, atque a malis patimur Christia-  
nis, licet pro multitudine scribere non valeamus, & ve-  
stram excellentiam ignorare non credamus; pastoralis soli-  
citudine moti, ponentes animas nostras in manibus nostris,  
ingentes labores non solum marini, sed itineris etiam terre-  
ni omnimodis sumpsimus. Testamur namque Deum, cui  
occulta omnium manifesta existunt, quod vestro deside-  
rabili honore, nullius hominis, nisi vestrum præpotens ad-  
iutorium auida mente quærere voluimus: sed malorum  
hominum, quos ipsi scitis præpediti insidiis, hoc agere non  
valuimus. Quapropter dilectissime fili nostra apostolica  
exhortatione monemus gloriam vestram, vt pro amore  
sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ defensionis labo-  
rem indubitanter assumere non prætermittatis: vnde vo-  
bis honor & salus hic & in æternum accrescat. Et ideo pe-  
timus, vt pro Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac  
Pauli amore nostris apostolicis monitis toto conamine at-